veris tempora redire cognoscit, confestim redit cum illis et ipse,
sedesq́ue repetit antiquas, in quibus tam diu moratur, donec spi-
rare boreales venti, foliis nudari arbores, gelidumq́ue mane incipi-
at esse; tum, ne hyemis asperitatem perferre cogatur, ociùs
sese alio hybernatum recipere festinat. Ingruentes verò
pluviarum procellas, imminentesq́ue ventorum flatus et turbines,
præsertim verò Favonii Austriq́ue calescentis tepores malignos,
ita verissimè pronuntiat, ut vix quispiam peritissimus astro-
logus, nam ubi eos imminere prævidet, frequentior ille homini
adesse, acriores morsus infigere, molestiorem deniq́ue et inquieti-
orem sese quam unquam alias exhibere solet, ut ex illius,
quâ hominem afficit molestiâ, facilè cœli molestias atq́ue
iniurias coniecturare liceat. Desinant itaq́ue mortales
tempestatum vices ex Kalendariis (ut vocant) ultra petere
astrologum potius pulicem consulant, futurasq́ue cœli tempestates
ex illo deinceps quærere studeant. Sisterem
nunc hic AA. in extollendis artibus atq́ue scientiis, quarum
pulex peritus esse deprehenditur: at ecce occurrit aliud quiddam
quod, iure optimo, primo loco dicendum fuerat, incredibilis
scil. illa, et eximia agilitas, et saltandi peritia, quâ,
licet in diversis suis exercitationibus, præcipuè tamen
in defensanda ~~vita~~ utitur vita: non n. ille crabronum
instar acuminosis aculeis, non quod hericii assolent, erectis
in tergore cuspidibus, non cochlearum more, lutea domui